RELATIO CEREMONIARVM SACRI BAPTISMATIS, LVDOuici Delphini, primogeniti Chriſtianiſſimi Regis Francorum Henrici IIII.

Ad Paulum V. Pontificem Maximum.

Autore Papirio Maſſono Aduocato in Senatu Pariſienſi.



PARISIIS

Apud P. METTAYER, Typographum Regium.

1606.

RELATIO CEREMONIARVM SACRI BAPTISmatis, *Ludouici Delphini, primogeniti Chriſtianiſſimi Regis Francorum Henrici IIII.*

SPERABAT Henricus IIII. Francorum Rex, cuius nutu ampliſſimiſq; cogitationibus & conſiliis Francia gubernatur, menſe Auguſto iam elapſo, Regium infantem Delphinum Chriſtiano more aqua tinctum, cæteras quoque Baptiſmi ceremonias ſuſcepturum; Lutetiæq; Pariſiorum apparatus omnis in templo Virginis longè maximo fieri cœperat. Cùm ecce ingreſſa vrbem, aliundéque importata contagio & peſtifer morbus, matura conſilia citò mutare coëgerunt. Viſúmq; eſt vt menſe Septembri, Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto, in Regia Bieriæ Syluæ Vaſtinenſium, ſub diœceſi Senonum ſita, ad Fontem-Blaudi, ab eadem Lutetia diſtantem viginti

ꝺto paſſuum millibus, cæremonia tota ce-
ebraretur. Locum illum D. Ludouicus,
leſerta ſua atq; ſolitudines olim vocabat.
'bi nihil videas præter robora, proceraſq;
uercus, fagos, vlmos, arboreſq; varij gene-
is: nihil audias præter cantum auium deli-
atiſſimis mortalium auribus acceptiſſimũ:
inter opaca ſyluæ longiſſimæ & latè pa-
entis, nihil procul intuearis præter hirſutos
pros, ceruos velocitate pernices, aliáſq;
eras, quas venari Regi tantùm licet, aut iis
uibus id permiſerit. Quo in loco præter
nmẽſas ſubſtructiones deceſſorum ſuo-
um; Idẽ Hẽricus nuper marmoreas & om-
is generis ſtatuas, tabulas, picturas, ima-
ines collocari iuſſit, vt mirandum in mo-
lum exornatus iudicari poſſit. EODEM an-
o XVI. Calendas Auguſti Pontificatus
ui ſecundo, Paulus V. Pontifex Maxi-
nus, ſacras ſuas dedit, quibus Franciſco
Epiſcopo Sabinenſi, cognomento Ioyoſæ
Legato ſuo à latere, purpuratóq; Cardina-
i ſcribebat in hunc modum. CVM filij
rimogeniti Henrici Regis Francorum,
acri baptiſmatis ceremonias & ſolemnita-
es celebrandas eſſe acceperimus, per no-
trum miniſterium hoc agi in benedictio-
e domini omnino volumus, & quoniam
d præſtare noſmetipſi non valemus, de-

ligenda perſona fuit, quæ vices noſtras fideliter ac pro dignitate Apoſtolicæ ſedis, & Regiæ prolis impleret, Mox Cardinalē illuſtriſſimum alloquutus. Te igitur qui ſacerdotij & Cardinalatus honore fulges, & nobilitate, prudentia, fide ac rerum gerendarum peritia nobis, Henrico Regi, atq; vniuerſo regno maximè cõmendaris, præ cæteris omnibus ad hoc munus duximus eligendum. Quibus verbis laudes tuas conſequi poſſumus, Paule V. deceſſorum tuorum Clementis VIII. & Leonis XI. veſtigia & conſilia ſequute! pro quo accepto à te beneficio vniuerſa penè Gallia libenter ſe in Italiam effunderet, ſupplex Apoſtolicæ Sedi ac tibi Rectori eius, actura immortales gratias, teſtes preſentis beneuolentiæ tuæ in Regem, & Delphinum filium permanſuras. Egregiè, & vt mihi videtur feliciter dicam, deceſſores tuos Pontifices Clementem, & Leonem, in quibus excellentes & præclaræ virtutes fuerunt, quales in te quoq; læti conſpicimus, nunquam in memoria hominum morituros, maximéq; Leonem, & ſi in ipſa cura & meditatione obeundi ſui muneris exceſſit è viuis, ac priuſquam Reipublicæ prodeſſe potuiſſet extinctus eſt. Tui vero ſãctiſſimi nominis recordationem, quæ vnquã in hoc

potentiſſimo Regno delebit obliuio? Memoriæ proditum eſt, die Paſchali ab Adriano I. Pipinum Caroli magni filium Romæ baptiſatum, cùm pater in vrbem profectus eſſet. Coronatos etiam atq; vnctos aliquot Francorum reges ab anteceſſoribus tuis ſeu Romæ ſeu cis Alpes, eccui eſſe poteſt inauditũ? In Legato autem tuo agnoſcimus omnia ornamenta, quæ tu illi veriſſimè tribuiſti, mentémq; eius egregiam, dignamq; & ipſo & maioribus eius eſſe prædicamus. Gaudentium enim ſanctum virum Aquitania protulit, quantum fama per manus mortalium tradita accepimus: eúmq; Conuenæ & Pictones Aquitaniæ populi, Venetíq; Armoricæ adhuc colunt. Cuius nomini dicatum eſt oppidum quod Garumna flumen alluit, Canonicorum Collegio Regiáq; iuriſdictione imprimis nobile. Huius Gaudentij frater maior natu, cùm liberos genuiſſet, aliíq; aliis longa ſerie poſterorum ſucceſſiſſent, tandem in Heluiis conſedêre, à Viuario clara & Epiſcopali vrbe ad Rhodanum flumen vnius diei itinere diſſiti, vbi Ioyoſa munitio eſt, quæ cùm fœliciter Gallica voce Gaudentiam gentem ſonaret, ipſi qui retento ob memoriam Diui Gaudentij nomine familiam ſuam ab eo Gaudentiam appellari gloriabãtur, pro Gaudẽtiis Ioyo-

ſæ impoſterum ſunt appellati, quo in numero fuêre, vt cæteros prætercam, Ioannes auus, Guilielmúſq; pater Legati tui ſpectatæ laudis ac nobilitatis proceres, Ioyoſarum cognomen adepti, Vicecomitum titulo diu inſignes, nunc Ducum, deceſſoris tui, Henrice Rex, erga eam gentem familiamq; nobilem beneficio ſingulari. Ex qua Henricus Borbonius Dux Montiſpenſerij, regiúſq; agnatus vxorem accepit, refuſuram in Regiæ ſtirpis familiam velut in Oceanum, quicquid opum Ioyoſæ fratres & maiores eorum congeſſerint.

Conuenêre igitur in Regia ad Fontẽ-Blaudi 18. Cal. Octob. ſiue, vt facilius dicã, decimo quarto Septembris aliquot hominũ millia: dies erat Iouis, ſereno cœlo (licet agitatæ ventis arbores, & inter ſe terentes ramos ſyluam quaterent) Cõuenêre inquam, ipſo die ſanctæ Crucis, nec in Æde ſacra Palatij, quippe multitudinem & frequentiam mortalium capere non potuiſſet, ſed in ſubiecta feneſtris area, in quibus Rex Chriſtianiſſimus conſedit ſpectator triumphi liberorũ ſuorum. Sed area illa inter ædificia, & pauimento ſtrata, & ſatis longa, latáq; erat, hec non apta excitando theatro ex lineis aſſeribus, ſubiectis tigillis compluribus, ad ſuſtinendum onus altitudinis quanta opus

fuit, in quibus commodè ſpectare poterant qui interfuere. Delphinus infans ferè quinquennis erat, et iam diſertè loqui, & quę fierent videre poterat ipſe enim natus in eadē Regia, die Iouis 27. Septembris, ſiue 5. Calen. Octobris, anno milleſſimo ſexcēteſimo primo, vt in Natali eius tunc à nobis perſcripto copioſè narratum eſt. Quo in loco, ſolum Philippum pulchrum Diui Ludouici nepotem ex filio ſucceſſore, natum accepimus, poſteáq; Regem digniſſimum immortali memoria, ſolúmq; è Regibus noſtris, cùm diu regnaſſet, & ſæpe in veteri Regia hoſpitatus eſſet, propter venandi ſtudium quo magnopere delectabatur, mortuum inter opaca nemorum, vt Bocacius refert. Auuſq; Philippi IIII. eaſdem artes amplexus iuuenis, grauiſſimum ad Fōtem-Blaudi in morbū incidit, vt hiſtoricus qui familiariter cum illo vixit Ioannes Kyrios ſiue dominus Ionuillæ, nobiliſſimo genere natus prope Catalaunum vrbem Celticæ, & Matronam flumen, memoriæ mandauit: Cuius munitionem in edito colle ſitam, Guiſij proceres Lotharenæ ſtirpis hodie poſſident, eáque potiuntur. Simul Ludouicum Philippi auum, poſt Paſcha die feſto D. Marci natum ſcribit, idq; ex eius ore ſe accepiſſe ait, cùm in Ægyptum nauigaret:

ſed vbi natus ſit, vbi baptizatus, quis melius, aut verius eloqui poteſt, quàm nepos eius Philippus omnium mortalium pulcherrimus, & quod præclarius eſt fortiſſimus Regum ſui temporis? Ille igitur in ſolemnibus ſuis Literis & inſtrumento dotationis cõſtituti à ſe monaſterij apud Piſſiacum Carnotenſis dioceſis oppidulum, ſeptem millibus paſſuum à Lutetia diſtãs, licet viginti quinque numerentur nauigantibus per Sequanam à Lutetiæ muris vſque in eum locum, propter ſinuoſi amnis circuitiones, qui vbi Piſſiacum attigit, talis eſſe deſinit. Philippus inquam, in inſtrumento dotationis monaſterij virginum Ordinis Dominicani quod anno 1304. ſcriptum fuit ita loquitur. NOS ad memoriam reuocantes eximiæ dilectionis affectum, & intimæ affectionis zelum, quem egregius confeſſor Ludouicus olim Rex Francorum, auúſq; noſter ad eccleſiam beatæ Mariæ villæ Piſſiaci, in qua renatus fonte baptiſmatis, Chriſtianæ fidei & ſalutis noſtræ primordia ſuſcepiſſe prædicatur, & villam ipſam originis ſui locum dum preſentis vitæ commodis fungeretur habebat. Hæc de auo pius nepos commemorat, ac Monaſterium relati inter diuos beati Ludouici memoriæ dicatum fuiſſe, tàm verum eſt, támq; notum, vt de eo d...

bitari non poſſit. Ad ablutionem eius redeo, factam in templo Virginis apud Piſſiacum exædificato à Conſtantia Roberti Regis vxore, quod inſcriptio adhuc teſtatur, & ſacellum ipſius nomini ſacratum, & fons ille ipſe in quo lotus eſt, qui viſitur, ab incolis eius ſuper mutulo ſaxeo altitudinis ſeſquipedalis, in angulo ſacelli collocatus ſeruatúſq;, cùm febri laborãtes, nutrices, & mulierculæ, ſcalpere illum vnguibus & cultellis ſolerent, vt epoto puluere aqua permixto, ad ſanitatem corporum ſuorum redirent. Ac ſolum præteritos ab hiſtoricis eſſe video ſponſores vel fideiuſſores eius, quicumque illi fuerint, & eum à quo tinctus eſt in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctũ, vtar enim Tertulliani verbis aduerſus Praxeam, quod ne accidat iis qui ſponſores erunt Delphini infantis, meum eſſe arbitror pro virili impedire conari. Mercurij autem pridie ſanctæ Crucis venienti vna cum ſororibus è Palatio D. Germani in Lalia ſylua, quod abeſt à Piſſiaco duobus millibus paſſuum, eſtque locus educationi Regiorum infantium deſtinatus: magno numero equites ad illum excipiendum obuiã ſunt progreſſi, adductoſque ad chariſſimos & chriſtianiſſimos parentes ſuos, immò ad triumphum, vt ita dicam, poſtridie enim

egregiè triumpharunt. Saluianus Maſſilienſis Epiſcopus chriſtianorum rituum ſciētiſſimus, libro 6. de prouidentia & iudicio dei, Quæ eſt, inquit, in baptiſmo ſalutari Chriſtianorum prima confeſſio? quæ ſcilicet, niſi vt renunciaſſe diabolo & pompis eius atque ſpectaculis & operibus proteſtentur? In theatro autem illo quod paratum ſupra fuiſſe diximus, quòdq; velo linteo cyanei coloris tectum erat, à perflante Borea diſciſſo, altare viſebatur magnificè vt decebat exornatum, & iuxta *eum fons, vnde egregia aqua & efficax ad lauandu præberetur. Poſtridie eius diei adfuêre XIII. tàm Epiſcopi quàm Archiepiſcopi, qui obuiam Legato ad Regiam pergenti cum multo comitatu occurrerant, præſtóque fuit delectus ad ſacrum munus peragendum D. Petrus nuper Pariſienſis Epiſcopus cognomine Gōdius, illuſtriſſimus S. R. E. Cardinalis in ſacerdotali veſte. Delphinus ſub vmbella erat ab Henrico Borbonio Condenſi regiæ ſtirpis & ſanguinis principe perductus, hilari vultu, alba veſte, & reliquo corporis cultu cygno cándidior: Intrepidè igitur inprōptuq;, & alacriter, ſine vlla hæſitatione reſpondit Elemoſinario ſuo quærenti, *Monſieur, que demandez vous?* id eſt, domine quid petis? totidem pene verbis, *Les ceremonies ſa-*

cramentales du bapteſme. id eſt ceremonias ſacramentales baptiſmi. *Auez vous pas receu le bapteſme?* id eſt nonn e baptiſmum accepiſti? *Oüy*, quæ affirmandi particula apud Gallos eſt. Exorciſmo deinde facto à Cardinali, ſolus alta voce ita vt exaudiri à multis poſſet, Latinè recitauit Dominicam orationem, cuius initium eſt, Pater noſter, Salutationem Angelicam, Credo in Deum. Poſtremo interrogatus nûm abrenunciaret diabolo, & omnibus pompis eius, & omnibus operibus eius: abrenuntio, inquit: mox vnctus chriſmate ſacro, percunctanti nûm crederet in Deum Patrem omnipotentem, creatorē cęli & terrę: In Filium eius vnicum Dominum noſtrum: In Spiritum ſanctum, ſanctamq; Eccleſiā Catholicam &c. ſubiecit ex animo ſe credere. Aderant Illuſtriſſimus Cardinalis Franciſcus Ioyoſa Legatus tuus Paule V. Pōtifex Maxime, & Leonora Vincentij Mantuanorum Reguli vxor, matertera Delphini infantis, quæ ex Italia venerat in Lotharingiā, vt filiam elocaret, inuitatáq; ab Rege & Regina ſorore ad ſolemnitatem ablutionis, Galliam quoq; ingreſſa erat, Roganti igitur ſponſorem vt nomen imponeret infanti, reſpondit optare, velleq; Pontificem, vt Ludouici nomen habeat, qua voce audita Rex Chriſtianiſſimus

incredibili lętitia perfuſus eſt, quod Diuum Ludouicum autorem familiæ Claromontanæ, Borboniæq; primum fuiſſe meminiſſet, plauſuſq; omnium ſpectatorum leni ſuſurro exauditus eſt, gratiſſimum id nomen, & Galliæ genti fœliciſſimum fore auguran-tium. Peractis demùm omnibus ceremoniis quas poſt illũ Eliſabetha & Chriſtierna ſorores ſuſceperant, in conclaue ad nutrices lætus reducitur, à triumpho. Baptiſmus enim Chriſtianorum triumphus eſt. Filiarum Regis maior natu, quatuor annorum erat: Cumq; Cardinalis à Diana Franciſci Memorantij vidua, & procuratrice Claræ, Eugenię, Iſabellę Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis filiæ Infantis, ex Eliſabetha Henrici II. noſtri Regis filia, Cùm, inquã, à Diana quæreret ecquod nomen ei dare placeret? Reſpondit, Eliſabethæ, quæ vox Hiſpanicè Iſabellã ſonat. Soror autem eius tenerrima eodem corporis cultu erat, niue enim candidior videbatur: Ei Carolus Dux Lotharingiæ, & Ioannes Medices Ferdinandi frater magni Ducis Hetruriæ, nomen impoſuêre, Chriſtiernam appellantes, ſic enim vocatur eiuſdem Caroli filia, vxorq; Ferdinandi, auię maternę, quæ Danici generis fuit, nomen ferens. Quod verò neq; Elizabetham, neq; Chri-

ſtiernam ſalubri vnda tunc perfuſas, nequ
Ludouicum diximus,ſciant qui id ſcire cu
pient,non multo poſt natalem diem, ablu-
tionem huiuſmodi factam fuiſſe, propter
periculum vitandum, ſi quod paruulis im-
mineret. Ceremonias tamen baptiſmi tunc
impletas non fuiſſe certum eſt, quæ nunc
demùm omnino perfectæ ſunt, àqua viua,
& Spiritu ſancto,& igne dulciſſimo tempe-
ratæ, vtor enim iiſdem verbis quibus in re
ſimili Zeno Veronenſis, vir eloquentiſſi-
mus ſanctiſſimuſq; vtitur. Interfuêre Regię
agnationis aliquot principes vt ſuppellecti-
lem ſponſoribus ipſiq; infanti baptiſando
neceſſariam ferrent, ſuum quiſq; munus
alacriter executus eſt. Carolus Vadimonta-
nus Ducis Lotharingię filius cereum prętu-
lit. Alexander Vindocinenſis Eques Meli-
tenſium, chriſmaticum ad tegendum caput
paruuli ſacro oleò perungendi, Cæſar Vin-
docinenſis Dux, vaſculum plenum mun-
diſſimo ſale, poſt quem viſebantur Regij
ſanguinis principes, Henricus Montiſpen-
ſerij Dux vas aquarium ex auro & argento
fabrefactum ferens, Carolus Sueſſionum
Comes, concham argenteam ſeu peluim
inauratum, in quem aqua infunderetur, vt
mos eſt, Franciſcus Contij princeps molliſ-
ſimum ceruical, Henricus Condenſis in-

ſantem manu tenebat quod per valetudinē ferendo non eſſet, niſi aliena opera vteretur quemadmodum vſus eſt. Hi ſunt Regiæ ſtirpis. Carolus verò Lotharenus Guiſiorum DUX caudam pallij diffuſiſſimi ex pellibus muris aranei ponè ſuſtinebat, aliíque principes è Lotharena familia, vt Henricus, & Claudius, ille Aguilloni, hic Ionuillæ cognomine inſignes, et proceres nobiliſſimi genere, in Gallia quoque nati adfuerūt vt ſimilibus honorificentiſſimis officiis, erga binas ſui Regis filias fungerentur, quos propter breuitatem operis prætereo, & hoc tantum dico ampliſſima ſtatura, facie grata, ſummaque dignitate quotquot erant, illos fuiſſe. Mirum verò eſt & incredibile dictu, quàm illuſtres viſæ ſint vxores principum Regij ſanguinis, à facie dignitate & ornatu mundóq; muliebri commendatæ. In quarum veſtibus nec ſplendor auri, nec argenti candor, nec infinitus gemmarum, adamantiúmq; numerus defuit, nec quicquam pretioſi & rari, ſeu in fœminarum ſeu in virorum ornatu deſiderari poterat. Ipſius vero Reginæ Chriſtianiſſimæ ſtola aut veſtis, in qua gemmarum triginta duo millia, adamantiū tria inerant, ſexaginta quinq; aureorū millibus à peritiſſimis artificibus æſtimabatur, quam tamen quod grauida eſſet bap

ciſmatis tempore,propter nimium pondus induere non potuit. Soluto cõuentu, pontificius Legatus, Leonora Medices, Diana procuratrix Infantis Hiſpaniæ, Carolus Lotharingiæ Dux, Ioannes Medices ſolemni epulo excepti à Rege, & Regina fuêre. Cui aſſidebant Catharina Tramulia, Henrici Borbonij Condenſis vidua. Franciſci, & Caroli fratrum, nec non Montiſpenſerij vxores, primi Aloiſia Lotharena, ſecundi Anna Montafieria, tertij Henricia Catharina Ioyoſa, neptis illuſtriſsimi Legati Apolici, de quo ſupra locuti ſumus: Cęſaris Vindocinenſis ſoror puella, Catharina Cliuia Henrici Lothareni vidua, Hẽricia Sabauda vxor Caroli Ducis Meduanæ, aliæq; nobiliſſimæ fœminæ, aut filiæ illuſtrium virorũ ac procerum huius regni. Et in epulo quidem voces egregias conuiuæ audierũt, inſtrumẽta publica omnis generis, & ante id, tibicinum clangores, & tympanorum ſtrepitus, cum Prætorianorum ſeptẽdecim cohortes vſę ferreis fiſtulis, boatum ingẽtem in aëre ſyluaq; ederent. Prætereo ignes, ſulphurei pulueris impetu in aëre factos. Omitto etiam choreas & ſaltationes poſt id epulum ad delectationem exhibitas, quæ ſunt delitiæ iuuentutis & Aulicoum.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google